









ciem sensibilis proprii cognoscitur, quia ratione dicuntur sensibilia per accidens. Tam 7. vel sensibile commune causat aliquid distinctum à specie sensibilis proprio, vel nihil; si primum, ergo speciem; si secundum, ergo non per se percipitur, sed per accidens. Tam 6. in intellectu datur species sensibilis communis distincta à specie sensibilis proprio, à mathematica enim consideratur quantitas abstracta ab omnibus qualitatibus, ergo etiam in sensu terunt species distinctae illorum sensibilium.

66 Resp. ad 1. sensibile proprium esse sensibile per se primo, at sensibile commune esse sensibile per se non primo, quia nequit cognosci, nisi cum sensibili proprio, ideoque proprium sensibile est causativum sensibilitatem colori convenire per se in secundo modo percipitatis, eo quia habet in se causam huius predicati, quae est propria quidditas, sic enim definitur predicatum per se in secundo modo, ut diximus in Log. quo pacto etiam sensibile commune habet hanc proprietatem per se à propria quidditate. Ad 2. species habet representare non solum obiectum, sed etiam omnes affectiones sensibilium illius, ut sunt sensibilia communia. Ad 3. neg. paritas, nam licet in esse rei magis differat quantitas, & color, quam sonus, & color, tamen in esse sensibilis non ita differat: color enim, & sonus se habent ut duo obiecta omnino disparata, at quantitas se habet, ut conditio, & affectio coloris, quatenus est sensibilis; quod argum. valde urget Thomias afferens speciem esse omnino formaliter eisdem rationis cum obiecto. Ad 4. lata est differentia inter sensibile commune, & per accidens, hoc enim non movet potentiam, nec terminat actum sensationis, neque se solo, neque cum alio; at illud per se terminatum actum, & movet potentiam, non se solo, sed unitum cum sensibili proprio, vere sensus attingit magnitudinem obiecti, non autem substantiam, aut relationem; ita colligitur ex Scot. 2. d. 9. q. 2. Ad 5. dicere possumus sensibile commune simul cum proprio, & dependenter ab ipso causare eandem speciem proprii sensibilis, non distinctam; vel si non habet actionem partialem, dici poterit sensibile proprium ex se causare speciem representantem ipsum cum omnibus conditionibus, quia ratione dici possunt per se sensibilia, quatenus vere terminant actum sensationis. Ad 6. non valet paritas, quia intellectus, cum sit potentia abstractiva, poterit unam entitatem ab alia praescindere, quae tamen ab eadem specie representatur.

67 Secundo potest sensibile commune percipi non cognitio proprio sensibilis, ergo sensibile commune habet propriam speciem, confes. patet, quia cognitio illa fieret per speciem, non quidem sensibilis proprio, quia non cognoscitur, ergo sensibilis communis; antec. probum quia à longè videmus magnitudinem corporis non colorem. Notu percipimus magnitudinem aulæ, & maximè animalia. Si quis propè Cœlum existens manu illud tangeret, solum quantitatem perciperet, non tangibilem qualitatem, impediretur enim, imò, & comprimeretur, ac dolorem sentiret, supponendo Cœli soliditatem. Enim eveniret, si corpus aliquod esset omnino tangibile, & visibili qualitate speculatum à Deo, tunc enim visus videret, & manus tangeret figuram, & quantitatem illius. Idem quoque esset si corpus aliquod haberet qualitates tangibiles in equali omnino gradu cum qualitatibus visibilibus, nam in eo casu non sentiretur corporis qualitates. Sæpe oculis cæcis videmus corpus opacum de novo ante oculos positum, & tamen nullum propiciamus colorem.

68 Resp. neg. antec. ad 1. probat. dicimus tunc cognosci etiam aliquem colorem imperfecitè propter distantiam. Notu sine ullo profus lumine non cognoscimus sensu externo magnitudinem aulæ, sed solum imaginatione, si tamen adest aliquod lumen, tunc etiam exteriori sensu videretur medio colore parietum quantitas aulæ, vel spatii. Tangens Cœlum ait Doct. 4. d. 9. q. 13. ad 1. princip. non immutaretur aliquid tangibilis qualitate intentionaliter solum tangere dicitur, quatenus Cœlum resisteret penetrationi, ex qua resistentia argueremus præsentiam quantitatis; & pollet propter compressionem manus causari aliquis dolor; idem eveniret, si daretur corpus cum sola magnitudine, & figura, resisteret enim manui, non tamen videretur à visu. Corpus habens qualitates in equali gradu pollet sentiri quoad duritiem, vel molliciem, aut saltem resistentiam penetrationi. Oculis cæcis proprio non videmus novam præsentiam corporis opacis, sed solum non amplius sentimus lumen illud, quod propter palpebrarum poros cernebamur, ex quo deinde arguimus interpositionem opaci inter nos, & luminotium.

69 Tertio, si corpus album solum figuram variaret, vel propter rarefactionem majorem occuparet locum, nova visio fieret, antea enim videbatur album v.g. ut quadratum, & in majori spatio, postea ut rotundum, & in minori spatio; ergo nova species intervenit, quae non erit sensibilis proprio, hoc enim sicuti idem permanet, ita eandem causat, & conservat speciem, ergo tota variatio erit ex parte speciei sensibilis communis. Tam 2. si commune sensibile, non haberet propriam speciem, sed eandem cum proprio, non magis sensus erraret circa commune, quam circa proprium, quod est falsum. Tam 3. ex Arriaga saltem ubi que per se percipitur à visu, & aliis sensibus, aliter si solum perciperet visus essentiam albedinis, non cognosceret illam ad hoc latus potius quam ad illud, sursum, aut deorsum, in hac vel illa distantia, sed omnino à loco abstraheret, imò nec intellectus posset percipere figuram, quia nec posset sen-

re, quam ubicationem res ipsa haberet.

Resp. ad 1. sicut ad variationem figuræ sequitur variatio sensationis, ita etiam sequitur variatio speciei impressæ, nam sic sensatio habet representare formaliter obiectum cum omnibus conditionibus, & affectionibus sensibilibus, ita species impressa hæc omnia virtualiter representat; quapropter obiectum album, & album speciem causat, cum variantur conditiones, & sensibilium communia, quod magis declarabimus art. seq. Ad 2. neg. sequeremur enim in sensu ex multis aliis capite provenit, ut dicemus q. ult. Ad 3. vel Arriaga hæc ratione intendit solum ostendere ubicationem percipi à sensu, & hæc concedimus, quia ubiatio illa coincidit cum quiete, quæ est una sensibilibus communibus; vel intendit probare percipi propria specie distincta à specie albedinis, & sic negamus conf. aliter fulsistere deberet etiam album communia sensibilia habere proprias species, quia vere attinguntur à sensibus; concedimus igitur ubicationem à nobis cognosci, non tamen per speciem distinctam, quia est una ex conditionibus sensibilibus, & materialiter aliud non dicit, nisi rem locatam, & corpus ambians, in tali parte universi; vide disp. 8. Log. q. 12. dum formalitatem scis, & ubi explicamus, & Joan. de Log. disputat. 7. de Sacram. Euch. sed. 4.

70 Quarto, dubitatur, num actus sensitivi externi proprias producant species in sensibus internis, cui dubitationi affirmative respondemus cum Scot. 3. d. 14. q. 3. & 4. d. 45. q. 3. art. 1. etque communis apud Doctores, & probari potest ex actu recordationis, qui habet terminari ad actum externum ut præteritum, ut cum Scot. dicimus disp. leg. ergo necessario in nobis erit species impressa illius actus, antec. patet experientia, in parte enim sensitiva habetur memoria præteritorum, etiam in brutis, conf. patet, quia ad actum cognitionis existitur concursus potentie; & actus, vel alterius generis visus, obiectum proximum recordationis, quod est actus præteritus externus, nequit concurrere ad recordationem, quia non est in se præsens, aliter non esset recordatio præteriti ut sic, sed præsens, ergo species illius concurrat, & consequenter erit propria species productiva; non enim poterit assignari alia causa magis proportionata, quam actus ipse.

Dices, dum actus externus est, non cognoscitur à sensu interno, quia sensus non est reflexivus supra actus sensitivos, ergo nequit habere speciem illius. Tam quia cognitio, cum sit actio immanens, non est productiva alterius distincti. Tam 3. species dependet à suo obiecto in fieri, & conservari, ergo nequit species interna ab actu producti, si ab eodem postea non conservatur. Tam 4. quandoque actus externus est nimis dilatus, ut cum tangitur pes, tactus ille non videtur posse producere speciem sui in sensu interno, qui residet in cerebro, quomodo enim posset species diffundere per medium? Tam 5. quæ spectant ad sensum internum sunt perfectiora, quam quæ ad externos attingunt, ergo actus externi saltem non erunt causæ totales percipientium.

71 Resp. ad 1. ex Scot. cit. supra D. etiam admisso antecedente, de quo infra, negatur conf. sufficit enim ut actus imprimat speciem in sensum, sicut obiectum imprimat speciem sui in sensum externum, antequam cognoscatur ab illo. Ad 2. cognitio dicitur actio immanens sine termino per illum productum, quia non est actio de genere actus, sed tantum grammaticaliter, potest tamen esse causa effectiva speciei. Ad 3. dicemus art. seq. Ad 4. patet ex dictis art. præc. species istas mediis spiritibus ad sensum internum deferri, sicut enim ad sensationem in spiritibus necessario requiruntur, sic etiam in sensu interno poterit speciem sui causare in sensu interno. Ad 5. actus externus sensitivus est perfectior specie impressa interno sensu, ideo potest esse causa illius.

72 Major difficultas est de speciebus internis obiectorum ad extra, à quo producuntur; nam in sensu interno non solum dantur species actuum externorum, sed etiam rerum ad extra, ut patet in somniis, quæ species sunt alterius rationis ab externis, sicut & potentie sunt omnino alterius rationis, diversum autem, & operandi modum habent, ergo etiam diversas exigunt species, quæ non sunt ab ipso interno sensu, cum ex dictis non detur sensus agens; merito igitur quaeritur, quæ species habet representare rem, à qua fit, ergo si species representant obiecto, ab illo producuntur. Alii hoc negant, eo quia in dormiente oculis aperti causantur species externæ, non tamen interiore in planta, ergo obiectum non est immediata causa specierum internarum; idcirco aliterut produci ab ipsis externis sensibus, non ut sic, sed media sensatione tanquam conditione requisita, non ut concusca. Alii nolunt species externas causare hæc species, quia sic obiectum nullo modo concurreret ad sui cognitionem, neque mediate, neque immediate contra communem axiomam, quod ex cognoscente, & cognito paritur notitia; tam quia sensus externus potius est productivus speciei proprie, quam speciei alteræ; quapropter dicitur ipsam speciem externam esse causativam internæ. Hoc autem aliis non placet, quia hæc species est imperfectior specie interna; tum quia in dormiente datur externa, ut diximus, sine interna; tamen causa naturalis non impedita agit, quantum potest; ideoque actum ipsum sensationis ponunt pro causa speciei internæ; tum quia si non addelet actus, nunquam fieret species interna, & quod perfectior est actus, eo perfectior species producit.

73 In hac difficultate probabilior dicendi modus est ponere tam spe-

speciem externam, quam actum sensationis causarem speciem in sensu interno; quod actus sensationis concurrat, patet ex modò dictis; quod etiam species externa sit partialis causa, prob. quia obiectum debet habere concursum aliquem saltem mediatum ad cognitionem internam per aliquid, quod gerat vices illius; hoc autem potest esse species impressa, quam actus, quæ species est habet veluti sementem obiecti; tum quia si factus esset totalis causa, jam produceret totaliter duas species alterius rationis in eadem potentia, scilicet speciem sui, & speciem obiecti, quod non videtur rationabiliter dictum; tum quia ex hac positione cessant omnes difficultates, quæ possent fieri; tum quia similitudo actus ad obiectum est formalis, species autem habet similitudinem virtualem cum obiecto, ergo assignari debet aliqua causa habentalem similitudinem, hæc autem erit species interna; tum quia probari potest exemplo phantasmatis, quod ex se occurrit ad speciem intelligibilem obiecti causandam; unde propositio illa species representat solum id, à quo producitur, valet in ordine ad eandem potentiam, non respectu potentiarum subordinatarum, & speciem enim intelligibilem non phantasma, sed obiectum offendit. Si autem diceretur, species internas non esse perfectiores externas (nam quod dicuntur spirituales, & immaterialiores, solum significatur esse minoris entitatis, & magis intentionales, quod potius arguit imperfectionem, quam perfectionem) posset sustineri species externas esse totales causas internarum, licet cum advertentia potentie sensitivæ externæ tanquam conditione sine qua non. Et si poneretur obiectum immediate causare species internas potius tamen advertentia externi sensus ut conditione, fortè à veritate non recederet.

Alia, quæ possent quaeri de speciebus, scilicet, an una species possit aliam speciem causare sine univocè, itaut non omnes ab obiecto producantur, sed una alteram producat, five equivocè, & que sit ipsi ipsius representativa, itaut eam obiectivè se habeat ad cognitionem, item an dicitur species infensata in sensu interno, & per eas sentiat percipiat affectiones rerum, videlicet disp. seq. cum de sensibus in particulari agemus, supponant enim cognitionem multorum ibi pertractandorum, scilicet naturæ, visionis, luminis, soni, &c.

ARTICULUS III.

Productio, divisibilitas, inensio, conservatio, & destructio specierum declarantur.

74 Circa productionem specierum dubitatur à recentioribus, quæ quod producuntur ab obiecto, an scilicet divisibiliter, vel indivisibiliter; pro quo advertendum, species sensibiles, cum sint materiales, & de subiecto materiali, ac extenso educantur, in eodemque subiecto inherant, esse divisibiles subjectivè, five ut ajunt Recentiores, extensivè in essendo ex partibus entitativis extensis constantes, ut etiam patet de aliis accidentibus materialibus, quæ ad divisionem subiecti dividuntur; & in hoc sensu non loquimur in præsentia; alia divisibilitas, vel indivisibilitas assignari solet in speciebus, quæ dicitur obiectiva, & in representando; ut si species ita representent obiectum, & quantilibet illius partem dicitur indivisibilis in representando, & obiectivè, & consequenter obiectum illam produceret indivisibiliter, totum scilicet obiectum efficiet totam speciem, & singule partes obiecti totam speciem, & quælibet pars produceret speciem non solum representativam sui, sed totius obiecti, & omnium aliarum partium; si vero species representent ita obiectum, ut tota representent totum, & pars partem, v.g. album palmare videatur per speciem, cuius una pars representet dimidiam partem palmi, altera alteram, dicitur divisibilis in representando, & obiectivè; & obiectum divisibiliter illam produceret, puta totum obiectum totam speciem, & quælibet pars obiecti propriam partem speciei representativam tantum sui ipsius. Quæstio igitur est, an obiectum producat speciem divisibiliter, ac indivisibiliter, ex cuius decisione habetur quoque explicatio secundi in titulo articuli propositi scilicet divisibilitatis specierum.

Prima sent. asserit, species indivisibiliter ab obiecto produci, esseque indivisibiles in representando, ita Conimbr. 2. de An. c. 6. qu. 2. ar. 2. Aquilon. 1. opt. prop. 70. Bannes 1. p. q. 78. ar. 3. dub. 3. ad 2. Tol. 2. de An. q. 34. Moris. disp. 2. de An. q. 17. & Averl. q. 53. sect. 3. & 5. Oppositam opinionem amplectuntur Ruvius 2. de An. tract. de obiect. & speciebus sensib. q. 8. Suar. 3. de An. c. 2. Hurt. disp. 12. sect. 5. Arriaga disp. 4. sect. 7. Cavellus disp. 2. de An. sect. 14. & alii.

75 Dicendum est cum secunda sent. species divisibiliter ab obiecto produci. Prob. primò de obiecto atherogeno, & dissimilari constante ex coloribus valde diversis, nequit enim albedo v.g. & nigredo, aut rubedo ab eadem specie representari, cum sint species omnino distinctæ, sed idem obiectum, puta imago, potest ex illis coloribus formari, ergo &c. Resp. Averl. quando obiecta sunt distincta, & totalia, representantur à diversis speciebus, at quando unum integrant totale, ab eadem representantur, sicut eadem est species est ab obiecto totali, & continuata, quam duo alba disjuncta, sed hæc representantur diversis speciebus, ergo & illa. Tum quia quando album, & nigrum sunt disjuncta, causant species non

solum disjunctas, sed etiam alterius omnino rationis, ratio est, quia rationes formales causandi, quæ sunt proprie quidditates albi, & nigri, sunt alterius rationis, & species differunt, ergo quando sunt continua, & unita, diversas quoque species causant, non eandem. Prob. conf. quia per istam unionem non variantur rationes formales illorum, & accidit alio, quod uniatu nigro, ergo si quod est de se in causatione speciei, permanet idem, sicut quidditas, & solum quod est de per accidens, variatur, puta unio, vel separabilitas, album, & nigrum tempore eadem species causant, five unita, five disjuncta; Quibus rationibus ostenditur, hæc obiecta non videri unica visione, sed pluribus; & quod addit de determinatione ab obiecto totali proveniente, concedimus assumptum, sed negamus duos colores specie differentes integrare unum totale obiectum, sunt enim duo obiecta totalia per se, & partialia per accidens, quomodo autem intelligendus sit Doct. quod, dum qu. 8. de Anima ait sensum unum actu percipere contraria, dicimus disp. 6. num. 276.

76 Secundo, prob. hoc idem de obiecto homogeneo, si haberet diversam figuram, & situm, ut est statua marmorea, vel inscripta à sigillo facta, nam species representans caput, nequit representare brachium, vel pedem, cum sint alterius figure, & sicut si essent distincta, distinctas quoque species causarent, pariformiter quando sunt unita, aliam, & aliam producerent speciem. Idem quoque ostenditur de partibus omnino similibus, eo quia sicut quælibet distincta numero entitatem habet ab alia, quamvis sint unitæ, & per istam unionem non transeunt totaliter in unam entitatem simplicem, sed proprias retinent entitates, quarum una non est alia, ita quoque diversas species saltem partiales causant; species enim solum habent representare res, à quibus causantur. Nec valet, quod ait Averl. posse, ac debere quælibet partem obiecti totalis producere seipsam representativam sui, & aliarum partium, quia non sola ipsa operatur, sed cooperatur simul cum omnibus aliis partibus, unde omnes concurrunt ad producendam unam speciem communem omnibus. Non valet, hoc enim impugnat; quomodo namque ex ista cooperatione potest una pars acquirere virtutem producendi speciem representativam alterius partis, quam speciem non produceret, si esset sola, & tamen per istam cooperationem non acquirit intrinsecè novam activitatem, sed eandem omnino retinet? certe sicut cooperatio aliquid non dicit, nisi operationes partiales duarum partium distinctas inter se, itaut una non sit alia, nec unius operatio sit alterius partis, sed unam totalem operationem integrantes, vel dicit operationem eandem unius partis connotando operationem alterius, ita terminus illius cooperationis erunt due species partiales, quarum una non est alia, & species unius non sit representativa alterius, licet unam speciem totalem integrent totalis obiecti; aut saltem erit idem terminus, qui per eandem operationem efficiatur, sed connotando terminum operationis alterius partis.

77 Tertio, universaliter prob. sit obiectum quoad palmorum, & detegat primus illius palmus, tunc species producta in medio non representabit, nisi primum palmum, detegat deinde successivè secundum palmum, vel tunc producitur nova pars speciei representans secundum palmum, & habemus intentum; vel prima species invariata, quæ prius representabat unum palmum, postea representat utrumque, & hoc est falsum, quia vel dependeret in esse à secundo palmo, & sic idem effectus naturaliter dependeret simul à pluribus causis totalibus, quod implicat, vel non penderet ab illo, ergo neque representaret illum, species enim est representativa illius obiecti tantum, à quo ponitur, & dependet in esse, aliter dicere possemus speciem exigui lapidis posse totum mundum representare. Vel tandem (quod asserit ut Averl.) fieret alia nova species de novo representans utrumque palmum priori destructa; & hoc quoque est falsum, quia species istæ se haberent ut plura indivisibilia, quæ nequeunt successe, & continuo acquiri, ut demonstravimus disp. 3. de Gen. q. 3. contra Hurt. ostendendo partes qualitatis non esse atherogenas, quia alteratio non potest esse continua; Tum quia si mari addeatur, vel minueretur una tantum aquæ gutta, tota variaretur species sensibilis, quod est difficile capere. Accedit principaliter ex Arriaga, quod si eadem omnino species indivisibiliter representaret totum obiectum, & quantilibet ejus partem, jam oculus æqualiter videret partem proximam, & remotam, quod est falsum, seq. prob. quia est eadem potentia, & eadem species representans, eadem omnino est quantum visio; deberet etiam representare quælibet partem etiam minimam, quod est contra experientiam.

78 Ex his sequitur, quod cum quælibet pars respectu speciei se habeat ut agens omnino independens ab alia comparte, & agens quodlibet in agendo agat in medium sphericè, quando non est impeditum, ut cum Scot. 2. d. 13. qu. ad 3. diximus disp. 2. de Gen. qu. 3. in quolibet puncto mediis quælibet obiecti pars produceret partem obiecti, itaut in quolibet puncto sint species omnium partium obiecti, dummodo ab illis partibus ad illud punctum ducipol sit linea recta; quod patet experientia, quia in quolibet puncto species uniuersum inter se, si partes representate sunt unice, ut namque species totalem efficiunt; quæ unio nequit dici extensiva ex parte subiecti, quia uniuersum in eodem puncto, extensio autem attenditur penes diversas partes subiecti; neque dici potest intensiva, quamvis enim hæc species uniuersum in eadem parte subiecti, sintque



quandoque eisdem rationis, ut cum videtur album palmare, non idcirco effluunt speciem intensiorem, quia non sunt representativa efficiunt partium intensivarum obiecti, sed extensivarum; quare rationaliter habet unio dici solet extenso obiectiva, unio autem intensiva speciei non solum requirit unitatem partes subiecti, sed etiam unionem partium intensivarum obiecti, ut dicemus. Si vero obiecta representata sunt distincta, etiam species ista, quam vis in eodem puncto medii extendit, erunt discretæ: ratio est, quia species habet non solum representatæ obiectum, namque entitatem, sed etiam quoad omnes conditiones sensibiles, inter quas est numerus, & figura, idcirco si obiecta sunt duo numero distincta, & diversas habeant figuras, eadem conditiones debent species representare. Idem proportionaliter dicendum de sentatione, scilicet quod in qualibet parte pupillæ, sicut sunt omnes partes speciei partium obiectivarum, ita etiam sint partes sentationis representantem omnes partes obiecti, eo quia qualibet pars pupillæ est sufficiens ad videndum obiectum, quæ sentationes partiales uniantur inter se, vel discretæ remanent; ut de speciebus diximus. Hinc si una pars obiecti auferretur, tolleretur etiam pars speciei, & pars sentationis illi correspondens, aliis remanentibus.

79. Obiectis in oppos. lumen in medio ita producitur à luminoso, ut luminosi partes conjungantur ad illuminandum per modum unius agentis, ita ut totum lumen producat, & quælibet ejus pars dependeat à toto luminoso, & à qualibet ejus parte, & non hæc pars luminis ab hac parte luminis, & tamen in sententia Scoti lumen est species lucis; similiter ignis secundum omnes partes per modum unius conjunguntur ad causandum calorem, & quodlibet aliud agens ita se habet in actione, ut diximus sæpe in lib. de Gen. disp. 2. ergo etiam obiectum ita se habet in productione etiam singulari simul conjuncta videtur, quæ seorsim non videntur, ut plura grana tritici, plures arbores in silva, quod non potest aliunde provenire, nisi quia semutò juvant ad productionem speciei, & quasi per modum unius agentis perfectioris conjuncta perfectiorem speciem, & magis extensam producant, per quam videri possunt omnia, & singula, cum tamen separata non possent producere, nisi imperfectam, & insufficientem visioni, ergo omnia corpacula producant speciem per modum unius agentis indivisibilis; imò in nostra sententia docente ad agendum requiri determinatam molem, ut minus non sufficiat, juxta dicta disp. de Gen. ut hoc est necessarium asserendum, illud enim minimum sensibile indivisibiliter producat speciem sui, nam si divideretur, non posset amplius agere. Tum 3. impossibile videtur, ut in exigua pupilla, & in uno puncto medii tot partes speciei reperiantur, quod sunt in excelso medio, imò in toto Cælo, ergo potius dicendum quamlibet speciei partem esse representativam totius obiecti, & cujuslibet partis ejusdem. Tum 4. docent Perceptivi, & habetur etiam à Scot. d. 10. q. 9. quod visio, seu speciei productio fit ad modum pyramidis, cujus basis est in superficie obiecti visi, conus autem in quovis puncto medii, sive in centro oculi, in quo visio fit, medii existente; hinc exiguum corpus propè oculos impedit visionem magni montis, quod si propè obiectum poneretur, non nisi exiguum illius partem occultaret, quia pyramis, quo magis accedit ad cuspidem, eo magis restringitur, & minori oblatulo potest impediri, quo magis recedit, & ad basim accedit, eo magis dilatatur, igitur totum obiectum indivisibiliter, & per modum unius producat speciem, aliter non proficeretur species ad modum pyramidis à toto obiecto. Tandem si quælibet pars independenter ab altera ageret, cum quælibet pars assignabilis in infinitas alias proportionales fit divisibilis, nulla erit pars, quæ primò ageret, nisi poneretur quantitate ex indivisibilibus finitis constare, quod est falsum.

80. Resp. primò ad id de lumine negando indivisibilitatem à luminoso produci, quia secundum nosse species lucis, ut dicemus disp. seq. & patet, quia si quis vitrum aliquod coloratum apponat mediæti candela, una pars luminis apparet colorata, quod non esset, si totum lumen à qualibet parte dependeret, ac recederet; exemplum de igne, & aliis agentibus naturalibus non est ad rem, est enim hæc agentia per modum unius producant suos effectus, non tamen ita se habet obiectum in ordine ad speciem, ratio est, quia alii effectus habent solum rationem effectus, idcirco virtualiter continentur in qualibet causa, dummodo sit eisdem rationis, calor v.g. quæ est ab igne producibilis, virtualiter continetur in qualibet igne, quapropter ipsius productio potest ascribi toti igni, & culibet parti ignis; at species non solum habet rationem effectus, sed etiam imaginis; hinc quia imago non solum determinatur ad causam in specie, sed etiam in individuo, nam debet representare obiectum cum omnibus conditionibus individuatum, & sensibilibus, non continentur virtualiter, nisi in tali determinato individuo, quapropter species representantem unam partem obiecti non nisi in illa virtualiter continentur, quia illam solam potest representare, ejusque gerere vires, nec poterit ipsius productio culibet parti obiecti ascribi, sed uni determinate. Dices, ratio producendi speciem sensibilem non est singularitas, sed natura, quæ in omnibus partibus obiecti homogenei reperitur, ex dictis q. 3. species virtualiter continetur in qualibet obiecti parte. Resp. natura est rationem formalem producendi, singularitatem, conditionem agentis, & rationem cognitam saltem confusè, quod sufficit, ut pars speciei representans hanc partem obiecti non fit ab alia comparte produ-

cibilis, sæpe enim ad variationem alicujus conditionis variatur actio.

81. Ad 2. concedimus dari minimum sensibile constans ex aliis partibus, cujus species etiam est in alias partes divisibilis, quarum quælibet à propria obiecti parte dependet, non à qualibet, hæc altera non potest agere, eo quia deficeret una conditio, quæ est proportionata moles; sicut igitur in minimo sensibili una pars est conditio necessaria ad agendum simpliciter alteri parti, quamvis species partialis ab una parte producta non dependeat ab alia, ut à causa, sed ut à conditione; ita dici poterit multitudinem corpulorum esse conditionem uni ex illis, ut longius emittat propriam speciem, quam faceret se solo, non autem quod omnia ad invicem se juvent, & ut una causa concurrat ad productionem indivisibilis speciei. Vel dicendum unum granum tritici v.g. esse immittere speciem, sed valde remissam, ut non sufficiat ad immittendum visum, additis autem aliis granis in eodem puncto mittentibus, sicut partes illæ partialia efficiunt unum per se obiectum totale, nec omnes illæ simul aggregatæ possunt immutare visum, eo modo, quo plures trahere navim possunt, non singuli. Ad 3. neg. aliquid, quia species penetrantur ad invicem, nec conficiunt molem, ut patet in sensibus internis. Ad 4. asserunt à Perceptivis intelligi debet de obiecto totali, quatenus in eodem centro oculi quælibet pars totalis obiecti per lineam rectam potest speciem immittere, quæ omnes figuram pyramidalem conficiunt, ut in simpliciter, non tamen est intelligendum, ut una simplex species indivisibilis ad modum pyramidis producat ab obiecto. Ad 5. sicut partes illæ integrant unum obiectum totale in aliis divisibilibus, sic etiam producant speciem totalem in plures partes divisibiles, & licet non detur una pars, quæ primo agit, id est, quæ non fit in alias partes divisibilis, & ab illis independens in agendo, hæc tamen pars est independens in agendo ab alia comparte scilicet una mediætas alia mediætas; licet dependeat à partibus, quæ includit, & hoc sufficit, quod non esset facta in sententia ad veriorum, quæ ponunt partem determinatam in productione speciei non solum dependere à partibus in illa inclusis, sed etiam ab aliis non communicantibus.

82. Secundo ad idem, si species funt divisibiles, ergo debent educi de potentia materię, ad quam educationem prærequiritur prævia alteratio, & sic in instanti non ferent. Tum 2. si in eodem puncto medii essent plures species, ergo representarentur obiecta in eodem situ, quod est falsum. Tum 3. falsum sentatio non erit divisibilis, possent enim omnes species per modum unius principii concurrere ad unam visionem representativam omnium obiectorum, quorum illæ sunt species, nam in sensu interno fit una cognitio per plures species, ut cum conceptus montis aures elicitur per species montis, & auri; & in intellectu per plures species plurium obiectorum fit una cognitio, ut cum fingimus ens rationis, aut cum à pluribus singularibus abstrahimus universalem; ergo idem evenit in sensibus externis, scilicet quod per plures species fiat una visio representans plura obiecta, ita tamen ut perfectius tendat in illa, cujus species magis directè accipit. Tandem ex 2. top. 4. contingit plura scire, cogitare verò non nisi unum, ergo non contingit habere plures visiones.

83. Resp. ad 1. concedendo primam seq. ex quo non sequitur deinde necessarium in tempore fieri, quia non habent contrarium, sed possunt in instanti educi absque alteratione prævia, ut patet de lumine. Ad 2. neg. seq. quia quælibet dicit propriam oppositionem ad proprium obiectum, quod representat, ut patet in lineis, quæ uniantur in centro, sed inter se variè distant. Ad 3. posse concedi de potentis internis totum argum. quia actus ipsarum sunt magis abstracti, at sensus externi, quia sunt magis materiales, & immediate respiciunt obiecta, prout sunt à parte rei, non nisi diversis actibus illa percipiunt, quamvis Dandinus lib. 2. digress. 13. oppositum doceat. Ad 4. Arist. intelligi de perfecta cognitione, magis enim intellectus, & perfectissimus, cum sit potentia spiritalis, potest ad plura tendere, quam sensus, pluribus enim intentus minor est ad singula sensus; cum hoc tamen latet, quod adhuc potest sensus plura cognoscere per modum plurium, simul enim videmus album, & nigrum, audimus diversos sonos, & differentias inter hæc omnia cognoscimus, quod est cognoscere plura ut plura.

Ex his explicatæ remanent productio specierum, & divisibilitas subjectiva, & obiectiva quoad extensionem subjecti, & obiecti. Ex eisdem deduci potest dilucidatio intentionis specierum, quod erat tertium in hoc art. propositum, de quo fuit Ruvius cit. q. 9. & Arriaga lect. 5.

84. Breviter tamen dicimus, species esse etiam intensivè divisibiles secundum proportionem ad obiecta, & quæ representant, ita ut si albedo v. g. est ut quatuor, producat speciem representativam sui intensivam ut quatuor, & si deinde intenderetur successivè, etiam species intenderetur per acquisitionem novorum graduum intentionis juxta dicta in lib. de Gen. disp. 2. & patet experientia; nam potentia percipit intentionem, & remissionem obiecti, ergo habet speciem intensivam proportionaliter, vel remissam; tum quia si extenso in obiecto facit divisionem extensivam in specie, ergo intensio obiecti causabit divisionem intensivam; tum quia adunt omnes rationes adductæ pro specierum divisibilitate.

itate. Verum in hoc est notandum quod non solum obiectum causat speciem secundum intentionem proportionatam propriae entitati, sed etiam illam in medio producit uniformiter, aliter posset in infinitum causare speciem, si uniformiter semper illam produceret, ut diximus disp. 2. de Gen. q. 4. hinc experiri poterit perfectissimè percipere obiectum proximam, quam remotam. Major tamen est difficultas in speciebus internis, à quibus augeantur intensivè, si scilicet ex iteratis actibus circa idem obiectum intendatur prior species, vel producatur alia de novo. Ad hoc diximus, quod loquendo de speciebus obiectorum abstrahentibus à quibusdam circumstantiis loci, figuræ, &c. verè intenduntur; & idem dicendum de speciebus oculi, maxime, cum sæpius recordamur eisdem actus; si vero species non ita abstrahunt ab his conditionibus, imò illas representant principaliter, si potius novæ generantur, licet quia sunt similes inter se, etiam priores intenduntur, ut etiam diximus disp. qu. 4. de habitum intentione ab actibus alterius speciei, sed quidem generis, vide disp. 6. q. 4. art. 1. ad 2.

85. Circa quartum de speciebus propositum quomodo scilicet species in conservari dependeat ab obiectis, communis sententia est, species, & si non omnes, saltem majori ex parte, & præcipue visibiles, ne momento quidem temporis in subjecto conservari posse sine actuali dependentia ab obiecto, ita Conimb. de An. c. 6. q. 2. Ruvius tr. de obiectis, & spec. lib. 4. 13. Aquilon. lib. 1. opt. prop. 52. Moncaus in locis theolog. disp. 5. c. 6. Zab. lib. de sensu agente c. 3. Averl. q. 57. lect. 6. Suarez lib. 3. de An. c. 12. Arriaga. disp. 4. de An. sect. 6. Salas p. 2. tr. 10. disp. 2. n. 7. Gabr. 2. d. 7. q. 4. Major d. 1. q. 9. Dand. 2. de An. circa text. 138. & alii. In contrarium opinatur Vag. p. 1. disp. 38. n. 9. Nicol. Leonius lib. de somnis p. 1. Cælius Mamianus lib. de somnis, & Suredi per forma cap. 1. Font. 5. Met. c. 8. q. 6. sect. 2. & alii, posse scilicet species aliquando tempore, sed brevissimo sine præsentia obiecti conservari, maxime illas, quæ ab aliquo vehementi obiecto inaprimuntur in oculo, favet D. Aug. lib. 11. de Trin. c. 2.

86. Dicimus species sensibiles de sua ratione formali non dependere in conservari ab obiectis; hæc conclusio fit in generali prolata communis est, nam datur aliquæ species sensibiles, quæ non dependent in conservari ab obiectis, sed diu post remanere, ergo de ratione formali speciei sensibiles in communi non est ad dependens conservatio, constat patet, quia quod convenit superiori, convenit etiam inferiori; ant. probatur primò de speciebus sensibilibus internis, quæ etiam destrahuntur obiectis diu retinentur in memoria, unde recordamur præteritorum, ut docet Scotus 1. d. 11. & 4. d. 45. qu. 3. de speciebus externis idem experiri in speciebus soni, secundum aliquos, quæ permanent aliquantum post sonum, quod etiam asseritur aliquibus de speciebus odoris; species tactus, & gustus videtur dependere in conservari ab obiectis, similiter species visibiles, de quibus omnibus dicemus disp. seq. in propriis locis; quapropter loquendo de speciebus sensibilibus in communi, de quibus est sermo in præsentibus, non possunt determinari, an dependent ab obiectis in conservari, an non, quia quædam species in particulari dependent, quædam aliquantum temporis durant, quædam verò diu conservantur; idcirco hæc difficultas spectat ad tractatum de speciebus in particulari.

87. Quoad ultimum, quomodo scilicet corrumpantur species; idem serè dicendum, quod disp. præ. q. 11. diximus de habitibus, loquendo de speciebus, quæ diu permanent possunt, ut sunt internæ; nam licet non corrumpantur per species contrarium, eo quia species non contrariantur inter se, sicut habitus oppositi, species enim nigredinis est cum specie albedinis compoliti, non solum in medio, sed etiam in ipsa potentia, ut ibidem innuimus, & sæpe in hæc disp. quoniam non est species ejuandem subiecti, sicut habitus, ut colligitur ex Scot. 4. d. 4. q. 3. H. & d. 13. d. 6. N. potest autem subiectum variari, vel quoad extensam, cum per nutritionem restauratur partes corporis, & priores perduntur, vel quoad dispositionem, unde ait Arist. in lib. de mem. & remin. c. 1. quod senes, & pueri sunt male reminiscitivi propter nimiam humorum abundantiam; vel propter aliquam aliam indispotionem perfectio memorativa potentia.

Dices, Scotus in 1. citat species sensitivas deleri quoque per contrarium formaliter, ergo corrumpuntur per oppositas species. Rursum, grad destructionem subjecti variatur species, cum cerebrum fit fluidum, & tenuior substantia, certe facilius totum permittitur, & brevi tempore, unde species totaliter corrumpuntur, & consequenter non possunt recordari illarum rerum, quæ multo tempore ante acciderunt, contra experientiam.

88. Resp. ad 1. ex Barg. ibid. quod per contrarium formaliter non intelligit Doctor speciem aliquam formaliter oppositam alteri speciei, sed qualitatem aliquam, quæ formaliter contrariatur qualitati conservativæ speciei, qualis est dispositio in organo requisitaliter opposita qualitati productivæ speciei, vel quæ sit fortiter in manu, produceret speciem sui in sensu tactus, possent hæc species deleri per frigus adveniens, quæ est qualitas formaliter opposita calori. Ad 2. varie respondet Arriaga disp. 4. de An. lect. 7. breviter tamen dicimus, cerebrum, licet sit fluidum, non tamen ita facilius permittitur propter caloris tenuitatem, frigiditas

tem innatam; deinde in reparatione novæ partis cerebri reparari quoque partem illam speciei per destructionem subiecti deperditam, vel à novo actu sensationis illius obiecti, sive externæ, sive internæ, vel ut alii dicunt, à parte speciei remanente, quæ sit alterius similis productiva; quod tamen multum libenter admittimus.

Solent etiam alii duo modi assignari, quibus corrumpuntur species, primus est, quem innuit Averl. q. 57. lect. 6. per adventum aliarum specierum in majori copia, eo quia eadem partes organi non sicut specierum receptiva, & capax pluribus enim intentus minor est ad singula sensus, & nisi exercitacione fovantur species illæ, penitus corrumpuntur; secundum est, quem docet Arriaga cit. eo quia species sunt talis naturæ, ut petant absentia actuum aliquo tempore durare, non tamen semper ideoque ipsius delinere, ut de impulsu, speciebus soni asseri solet, & de habitibus secundum aliquos.

89. Verum primus modus non debet poni tanquam à priori modo diversus, stat verò una species aliam expellit, cum enim sint commixtæ in eadem parte subiecti, & compensabiles, nec una apponatur alteri, nulla erit ratio ex parte specierum, quæ se debeant invicem expellere; solum dici poterit partem sensitivam exercitacione habituari, & disponi ad retentionem specierum, quæ dispositio sit qualitas quedam habitualis, sine qua species non tam facile imprimuntur in cerebro, unde facilius evanescunt, sicut facilius deperditur qualitas, quæ non fit radicata tenaciter in subiecto, quam alia magis fixa, licet minus intensa; hæc autem dispositio in cerebro innotet nobis à posteriori, eo quia experiri facilius nos memorare mandare, specieque acquirat retinere, si continuo exercetur.

90. Secundus modus, quamvis habeat locum in speciebus soni, & in impulsu, quia statim delinunt, non tamen est admittendus in qualitatibus diu permanentibus, ita ut post diuturnam memoriam incipiant seipsas delinere, & fluere; nam ut disp. præ. diximus de habitibus, vel species istæ effluent continuo, vel per moras intermedias, non primum, quia & si per aliquod tempus durarent, attamen quando inciperent delinere, brevi intervallo totaliter destruerentur, quod est contra experientiam, quia ut ipsemet Arriaga fatetur, sæpe contingit nos non tam vivaciter recordari rerum jamdudum præteritarum, sicut quæ de recenti transferunt, quod si hæc recordationis remissio proveniret, quia species diuturnitate remittitur ex se, ac fluit, non brevi intervallo delinere, sequela prob. tum exemplo specierum soni, & impulsus, qui statim ac incipit fluere, brevi consistunt; tum quia non est tam magna specierum intensio, ut multum exigat tempus ad destructionem; tum quia debere assignari ratio, cur si potest diu in eadem intentione conservari, & in esse quieto, deinde abique ulla variatione, & ex seipsis incipiant delinere. Neque secundum, quia cum partes illæ intensivè sint eiuandem rationis, non erit major ratio, cur hæc v.g. destruat hodie, & alia conserventur; cur hodie incipiat speciei remissio, & postea interrumpatur. Hinc Doctor in 2. d. 3. q. 10. F. docet speciem ad modum habitus se habere, & ut formam permanentem; quare sicut habitus non est de se qualitas fluxibilis, ut diximus, neque species de sua ratione evanescit.

91. Dices cum Arriaga, potest dari, imò de facto datur entitas petens ex se conservari per aliquod tempus, non tamen semper, ut patet de impulsu, & speciebus soni, ergo species sensitivæ internæ erunt talis naturæ, patet conf. quia experiri, hæc species progressu temporis defecere, nisi novis actibus intendatur, etiam si subiectum sit rectè dispositum, unde non eadem intentione recordamur post decem annos, quam post unum quadrante, quod provenit ex paulatina specierum remissione; necesse necesse, quod statim corrumpantur, sed sufficit, si admodum lentè desinant esse. Resp. neg. conf. ratio est, quia videmus res ex seipsis defecibiles non diu durare, sed breviter corrumpi, ut patet in exemplis adductis; quare prorsus voluntaria est illa paulatina, ac serotina desitio, & experientia est pro nobis, nam quantæque brevi tempore obliviscimur rerum, quamvis cum magna attentione perciperimus, & contra diu recordamur aliquorum, etiam si species illæ non fuerint in tanta intensione, & tam vehementer attentione acquiratæ, & tamen si oblivio proveniret ex paulatina specierum remissione, totum oppositum contingere deberet; quapropter desitio specierum in proportionatam, vel improporionatam subiecti dispositionem est referenda, quia scilicet propter majorem, vel minorem subiecti dispositionem magis, vel minus tenaciter inhaerent; quæ indispotio potest postea per actuum iterationem suppleri, quibus species illæ intenduntur, & renovantur.

QUESTIO VI.

De numeribus specierum sensibilibus, ubi de activitate, & similitudine ipsorum.

92. Duo præcipua munera habet species, concurrere ad actum cognitionis, & representare obiectum tanquam similitudo ipsius, quæ munera communia sunt etiam speciebus intelligibili-